

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. IV - N. 1

1972

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1972

EX ACTIS PAULI PP. VI

Allocutiones

- I. Iis qui apud Gregorianam studiorum Universitatem, « Cursui renovationis
canonicae » interfuerunt 3
- II. Ad Praelatos Auditores, et Officiales Tribunalis S. R. Rotae 5

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

S. Congr. pro Doctrina Fidei

- Declaratio ad fidem tuendam in Mysteria Incarnationis et SS. Trinitatis a qui-
busdam recentibus erroribus 9

Secretaria Status

- Notificatio 14

Consilium pro Publicis Ecclesiae Negotiis

- De promovendis ad Episcopatum in Ecclesia Latina 15

S. Congr. de Disciplina Sacramentorum

- Instructio de quibusdam emendationibus circa normas in processu super matri-
monio rato et non consummato servandas 21

S. Congr. pro Clericis

- De obligatione Sacrum litandi pro populo 29

Pont. Commissio Decretis Conc. Vat. II interpretandis

- Responsa ad proposita dubia 30

ACTA COMMISSIONIS

- Coetuum studiorum labores 31
- De procedura administrativa 35
- Opera consultorum 39
1. De clericis et S. Hierarchia 39
2. De sacramentis 51
- De SS. Eucharistia 51
3. De iure processuali recognoscendo 59

DOCUMENTA

- Oratio Card. P. Felici 73

- NOTITIAE 79

2

DE SACRAMENTIS

Iam his in ephemeridibus traditus est conspectus schematum legislationis canonicae recognitae de Baptismo atque de Sacramento Confirmationis.¹ Modo per summa capita exponetur schema canonum, quod de Sanctissima Eucharistia appararunt consultores ad coetum studiorum « de Sacramentis » pertinentes.

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

De Sanctissima Eucharistia legislationem Codicis I. C. recognoscendo, coetus consultorum « de Sacramentis » tres tractavit quaestiones. Imprimis, et quidem prae aliis, propositum est novum canonum schema de Eucharistica celebratione, praebens recognitam legislationem Codicis I. C. canonum 801 ad 823 atque canonum 845 ad 869. Deinde confectum est, sub titulo « De Sanctissima Eucharistia asservanda et veneranda », schema canonum, in quibus recognita habetur legislatio canonum qui in Codice I. C. traduntur sub titulo « De custodia et cultu Sanctissimae Eucharistiae », complectente canones 1265 ad 1275. Tandem paratum est schema canonum, in quibus recognita proponitur legislatio Codicis I. C. canonum 824 ad 844, quae quidem in Codice traditur sub rubrica « De Missarum eleemosynis seu stipendiis », quae vero in textu recognito habetur sub rubrica « De oblata ad Missae celebrationem stipe ».

1. DE EUCHARISTICA CELEBRATIONE

Plane mutatur ordo dicendorum qui in Codice I. C. servatus est. In Codice, in prima Parte Libri III, sub titulo III, de sanctissima Eucharistia, Caput I agit de sacrosancto Missae Sacrificio, et complectitur quattuor articulos, qui tractant de sacerdote Missae sacrificium celebrante, de Missae ritibus et caeremoniis, de tempore et loco Missae celebrandae, atque de Missarum eleemosynis seu stipendiis; Caput autem II tractat de sanctissimo Eucharistiae sacramento, et complectitur tres articulos, videlicet de ministro sacrae communionis, de subiecto sacrae communionis, atque de tempore et loco quo sacra communio distribui potest. Cum vero sanctissima Eucharistia, in qua ipsemet

¹ Cfr. *Communicationes*, 3, 1971, pp. 197-205.

Christus Dominus, offertur et sumitur, Sacrificium insimul sit et Sacramentum, eadem separari non possunt. Itaque, in schemate canonum recognito, sub uno eodemque titulo « de Eucharistica celebratione », capita quae habentur insimul agunt de celebratione Sacrificii et de communione, quae quidem eiusdem est pars. Haec autem capita agunt: 1. de Sanctissimae Eucharistiae ministro; 2. de Sanctissimae Eucharistiae subiecto; 3. de ritibus et caeremoniis Eucharisticae celebrationis; 4. de tempore et loco celebrationis Eucharisticae.

In canonibus de Sanctissima Eucharistia recognoscendis, ratio praecipue habita est doctrinae quam de Sanctissima Eucharistia praebent Constitutiones et Decreta Concilii Vaticani II.

Prooemium

In Primo canone, qui generalem continet introductionem, affirmatur Celebrationem Eucharisticam esse ipsius Ecclesiae actionem, in qua quidem sacerdos, in persona Christi agens, peculiare exercet munus, sed ad quam alii christifideles suo quidem modo, concurrunt. Itaque textus propositus est qui sequitur: « Eucharistica celebratio, in qua Ipsemet Christus Dominus offertur et sumitur, est ipsius Ecclesiae actio, cui in persona Christi praesidet sacerdos, minister huius sacramenti proprius, et ad quam ceteri qui intersunt christifideles, suo quisque modo, pro ordinum et munerum diversitate, participando concurrunt ».

1. De Sanctissimae Eucharistiae ministro

1. *Ad validam Sacrificii Eucharistici celebrationem quoad spectat, affirmatur* quod minister aptus qui, in persona Christi Sacrificium Eucharisticum conficiens celebrationi Eucharistiae praesideat, est solus sacerdos valide ordinatus.

2. *Ad licitam celebrationem* quod attinet, diversae dantur regulae quae sacerdotem celebrantem respiciunt.

1) Licite Eucharistiam celebrat sacerdos poena canonica non impeditus, et servatis canonum praescriptis.

2) Concelebrare possunt sacerdotes, nisi utilitas christifidelium aliud suadeat; ipsis autem etiam integrum est ut singuli Eucharistiam celebrent, non autem eo tempore quo in eadem ecclesia concelebratio habetur.

3) Norma generalis statuitur servanda ut sacerdos rectori eccle-

siae ignotus celebrare permittatur; quae vero a loci Ordinario magis determinari potest.

4) Salvis legibus liturgicis, regula est quod non licet sacerdoti pluries in die celebrare, nisi aliud iure ipso aut apostolico indulto permittatur. *Ipsa iure* vero ipsi conceditur ut, si datur sacerdotum penuria, iusta de causa bis in die, atque necessitate pastoralis id postulante ter in diebus dominicis et festis de praecepto, celebret.

5) Extra casum necessitatis, sacerdos non potest celebrare sine ministro.

6) Sacerdotibus catholicis non licet una cum ministris Ecclesiarum communitatumve ecclesialium plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentium Eucharistiam concelebrare.

3. *Commendatio sacerdotibus* fit ut frequenter Sacrificium Eucharisticum celebrent, in specie si christifidelium bonum id suadeat.

4. *Minister sacrae communionis* determinatur: ordinarius minister est sacerdos et diaconus; extraordinarius est alius christifidelis, sive clericus sive etiam laicus, in casibus vero necessitatis pastoralis tantum et servatis loci Ordinarii praescriptis.

Attamen, parochi est sanctissimam Eucharistiam per modum Viatici ad infirmos in sua paroecia deferre; alii id tantum facere possunt in casu necessitatis.

2. De Sanctissimae Eucharistiae subiecto

1. *Regula generalis ut admitti quis possit ad sacram communionem*, est: requiritur sit baptizatus et iure non prohibeatur. Iure ergo determinantur requisita.

2. *Requisita ut ministrari aut ut recipi possit sacra Eucharistia* dein enuntiantur.

1. Requiritur sufficiens huius Sacramenti cognitio necnon ad id recipiendum praeparatio; quae quidem determinantur, et sunt minores pro pueris in periculo mortis versantibus, pleniores, e contra, pro illis qui sunt extra tale periculum; relate ad illas de officio parentum et parochi norma traditur.

2. Ad celebrationem sanctissimae Eucharistiae et ad sacram communionem non possunt admitti qui graviter deliquerunt et in contumacia perseverant; haec regula proponitur generalis, loco praescripti Codicis can. 855.

3. Qui, minister aut christifidelis, conscius sibi est peccati gravis, Corpori Domini ne communicet priusquam ad sacramentum Poenitentiae accesserit, nisi adsit gravis ratio et praesto non sit confessarius; quo casu actum perfectae contritionis eliceat.

4. Regula proponitur, vi cuius qui sanctissimam Eucharistiam receperit non potest eam iterum eadem die suscipere extra Eucharisticam celebrationem, nec in ipsa, nisi in ea quae cum quadam sollemnitate peragitur. Ita certis in casibus, potest plus quam semel in die suscipi sacra communio.

5. Regula etiam enuntiatur, vi cuius Sanctissimam Eucharistiam celebraturus aut recepturus, per spatium unius horae ante communionem abstinere debet a quocumque cibo et potu, excepta tantum aqua naturali. Exceptiones tamen habentur et determinantur, tum pro sacerdote qui bis aut ter eadem die celebrat, tum pro fidelibus qui infirmitate quadam laborant.

3. *Obligatio Sanctissimae Eucharistiae sacramentum recipiendi* etiam hoc in loco enuntiatur:

1) obligatio qua omnis christifidelis, post adeptos annos discretionis, tenetur semel saltem in anno, et quidem tempore paschali; regula proponitur quod fieri debet a dominica VI Quadragesimae, quae est Palmarum, usque ad festum Pentecostes, sed simul affirmatur loci Ordinarium hoc tempus anticipare aut prorogare posse;

2) obligatio qua tenentur christifideles in periculo mortis versantes; sacram communionem hoc casu recipere possunt, etiam si eadem die eam iam receperint; perdurante mortis periculo, pluries, distinctis diebus, sanctum Viaticum recipere possunt.

4. *Commendatio christifidelibus* fit ut maximo in honore habeant Sanctissimam Eucharistiam utque frequenter Eucharisticam celebrationem participant. Sanctissimae autem Eucharistiae sacramentum in quolibet ritu suscipere possunt.

3. *De ritibus et caeremoniis Eucharisticae celebrationis*

Qui sub hac rubrica proponuntur canones plerumque normas Codicis I. C., quoad substantiam saltem, retinent.

Respiciunt imprimis *materiam* in Sacrificio Eucharistico conficiendo adhibendam, panem scilicet mere triticeum et recenter confectum atque vinum naturale et non corruptum. Renovant prohibitionem, can. 817 Codicis, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque extra

Eucharisticam celebrationem, consecrandi. Norma quidem Codicis I. C. canonis 852, quae sub hac rubrica nunc enuntiatur, novis legibus liturgicis aptatur, et affirmat Sanctissimae Eucharistiae sacramentum conferendum esse sub sola specie panis aut sub utraque specie, ad normam legum liturgicarum; insuper asseritur in casu necessitatis hoc sacramentum sub sola specie vini ministrari posse.

Spectant insuper ad *ritum* in Eucharistica celebratione et in communionis distributione adhibendum. Ad ritum celebrationis Eucharisticae quod attinet, servatur quidem norma can. 816, vi cuius in celebrando sacrificio Eucharistico sacerdotes proprium ritum servare debent; additur vero in concelebratione eosdem sequi debere ritum sacerdoti principali celebranti proprium.

Rituales preces et caeremonias quod attinet, dictae normae, confirmantes praescriptum Codicis can. 818, enuntiant nemini, ne sacerdoti quidem, licere quidpiam proprio Marte in iisdem precibus et caeremoniis addere, demere aut mutare; et in memoriam revocant praescriptum Constitutionis « Sacrosanctum Concilium », n. 22, vi cuius Supremae Ecclesiae auctoritatis atque Episcoporum Conferentiarum et Episcoporum tantummodo est Sacram moderari Liturgiam. Ad linguas quibus peragenda est Eucharistica celebratio quod spectat, affirmatur linguas liturgicas iure probatas adhiberi posse. Norma can. 811, sub hac rubrica nunc tradita, enuntiat a sacerdote in Eucharistia celebranda vestem convenientem et ornamenta rubricis praescripta deferenda esse.

Nova tandem quaedam praescripta proponuntur, videlicet: ut *ipso iure* sacerdoti infirmo aut aetate provento, qui stare nequeat, liceat celebrare sedenti, non tamen coram populo, nisi de licentia Ordinarii; ut sacerdoti coeco aliave infirmitate laborante *ipso iure* etiam liceat in celebrando adhibere textum cuiuslibet ex Missis probatis.

4. De tempore et loco celebrationis Eucharisticae

1. *Ad tempus celebrationis Eucharisticae* quod attinet, loco praescriptorum Codicis can. 820-821 et 867, enuntiantur normae simplices, videlicet: celebratio Eucharistica fieri potest quocumque die et quacumque hora, salvis legibus proprii ritus liturgici; communio distribui et recipi potest quocumque tempore quo Eucharisticum sacrificium celebrari potest, sed commendatur ut christifideles illam recipiant in participanda Eucharistica celebratione.

2. *Ad locum* quod spectat: 1) pro celebrationis loco, servantur §§ 1 et 4 canonis 822, sed de privilegio altaris portatilis non fit

mentio; additur vero sacerdotem in mari aut fluminibus celebrare tantum posse, de licentia unius ex tribus loci Ordinariis de quibus in can. 883, § 1; 2) pro ministranda sacra communione, servatur quoad substantiam praescriptum can. 869; additur vero, in casu quo sanctissima Eucharistia ad infirmos deferatur, eam etiam adstantibus ministrari posse. Praeterea, ad mentem Concilii Vaticani II aptantur praescripta can. 823: 1) iusta de causa, licet sacerdoti Eucharistiam celebrare in templo alicuius Ecclesiae orientalis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentis; 2) ut vero sacerdos in templis celebrare possit aliarum Ecclesiarum communitatumve ecclesialium plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentium, licentia eget loci Ordinarii.

2. DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA ASSERVANDA ET VENERANDA

Recognita sub hoc titulo proponitur legislatio praescriptorum qui in Codice I. C. habentur a can. 1265 ad can. 1275, sub titulo « de custodia et cultu sanctissimae Eucharistiae », necnon in can. 1290 ad 1295, in quibus de sacris processionibus agitur.

De ecclesiis et oratoriis, in quibus sanctissima Eucharistia asservari debet aut potest, servantur, quoad substantiam saltem, praescripta can. 1265, 1266 et 1267. Attamen, secundum recognita quae proponuntur praescripta, asservari debet sanctissima Eucharistia in ecclesia cathedrali aut eidem equiparatae, in ecclesia paroeciali, et in ecclesia domui cuiuslibet Instituti perfectionis adnexa, et non tantummodo, uti in Codice statuitur, in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum.

De tabernaculo in quo sanctissima Eucharistia asservanda est deque eius loco, item servantur pleraque Codicis I. C. canonum 1268, 1269, 1270 et 1271 praescripta. Eorum equidem certa sunt mutata. Dum enim in Codice statuitur ut tabernaculum in quo sanctissima Eucharistia asservatur regulariter positum sit in altari maiore, in proposito praescripto recognito requiritur ut situm sit aut in aliquo altari aut extra altare in aliqua ecclesiae vel oratorii parte nobili et conspicua. Praeterea, dum in Codice requiritur ut lampas quae coram tabernaculo lucere debet nutriatur per se oleo olivarum vel cera apum, in proposito textu recognito generalibus tantum verbis praescribitur ut peculiaris lampas ardeat, qua indicetur Christi praesentia.

De expositionibus sanctissimi Sacramenti, cum pyxide aut cum ostensorio, retinentur quoque, quoad substantiam, praescripta Codicis

I. C. canonum 1274 et 1275. Verumtamen, dum in Codice affirmatur ministrum benedictionis Eucharisticae esse solum sacerdotem, in textu recognito asseritur eundem esse sacerdotem vel diaconum. Insuper prohibet textus recognitus ne, celebratione Missae durante, habeatur in eadem ecclesiae vel oratorii aula sanctissimi Sacramenti expositio.

De processionibus haec tantummodo praescripta proponuntur quae sequuntur: ubi, de iudicio loci Ordinarii, fieri potest, *convenit* ut sollemnis habeatur, praesertim in festo Corporis et Sanguinis Christi, processio, etiam per vias publicas procedens; in civitatibus vero unica habeatur, variis parocciis communis; tandem loci Ordinarii est non tantum de processionum opportunitate iudicare, sed etiam de iisdem statuere ordinationes, quibus earum dignitati prospiciatur.

3. DE OBLATA AD MISSAE CELEBRATIONEM STIPE

In textu recognito huius legislationis primo affirmatur principium — iam in Codice enuntiatur — vi cuius, secundum probatum Ecclesiae morem, sacerdoti cuilibet Missam celebranti et applicanti necnon concelebranti et applicanti licet *stipem a fidelibus oblatam* recipere. Commendatur vero sacerdotibus ut etiam nulla recepta stipe, Missam celebrent ad intentionem christifidelium, praecipue egentium.

Uti videri potest, non amplius, in textu recognito, sermo fit de Missarum stipendio, sed de *stipe a fidelibus oblata*. Vox quidem « stipendium » a propria huius oblationis natura videtur aliena, cum indicare possit oblationem fieri in remunerationem seu mercedem pro celebratione peragenda factam. Vox, e contra, *stips*, ut historice constat, proprie significat oblationem factam aut in opus aliquod publice faciendum, aut in Dei honorem, aut ad pauperes alendos, ideoque magis congruit cum natura oblationis occasione celebrationis Eucharisticae factae.

Historice si res consideratur, usus dandi stipem ortus videtur ex Missae offertorio, in quo christifideles celebrationem Eucharisticam participantes necessaria ad celebrationem, imprimis panem et vinum attulerunt, aliaque etiam dona naturalia, in sacerdotum sustentationem, immo et in pauperum alimentum, obtulerunt. Hac ratione stips oblata cum ipsa Eucharistica celebratione proprie colligata erat. Remansit quidem ut a plerisque, ut videtur, scriptoribus de natura huius stipis agentibus, eadem stips declarata sit oblatio quam, occasione sacrificii Eucharistici ad sui intentionem celebrati et applicati, christifideles faciunt, ut pro parte sua conferant tum ad Ecclesiae ministrorum susten-

tationi providendum tum ad Ecclesiae variis necessitatibus prospiciendum. Et revera, non paucis in regionibus, hodie praesertim, stipēs occasione celebrationis Eucharisticae oblatae, unus quasi sunt fons e quo proveniunt quae necessaria sunt ut variis Ecclesiae necessitatibus et ministrorum etiam sustentationi prospici valeat.

De historica stipis oblatae origine non fit mentio in Codice I. C., nec de eadem necessario agere debent canones recogniti, qui quidem, utpote leges, normas tradant oportet quibus stipis oblatio eiusdemque usus ordinantur. Attamen, novus in legislatione recognita proponitur canon, in quo affirmatur christifideles stipem ad Missae celebrationem offerentes ad bonum conferre Ecclesiae, cuius quidem curam in cultu ordinando, in officiis adimplendis operibusque sustentandis, ita etiam participant. Additur deinde auctoritati ecclesiasticae, praesertim Episcopo dioecesano, cuius est curare ut necessitatibus Ecclesiae ministrorumque sustentationi provideatur, competere definire rationes quibus stipēs oblatae in bonum Ecclesiae adhibendae sint. Haec quidem auctoritas, quae quidem offerentium voluntatis rationem habere debet, potest fines determinare in quos stipēs cedi debent, et statuere etiam potest ut sacerdos, cui stipis offertur, ex integro aut ex parte eandem retineat, exceptis quidem iis in casibus quae lege definiuntur. Servatur enim praescriptum can. 824, § 2, vi cuius sacerdos pluries in die celebrans, pro una tantum Missa stipem recipere et suam facere potest. Additur autem eundem pluries legitime celebrantem singulas Missas applicare posse ad intentionem pro qua stipis oblata est, sed ea tantum lege ut stipem pro altera aut tertia Missa oblatam non faciat suam, sed eandem concedat in bonum Ecclesiae, iuxta Ordinarii loci praescripta.

Retinentur Codicis praescripta, ad vetandam speciem negotiationis vel mercaturae quamlibet lata (can. 827) aut ad praecavendos abusus edita (can. 825). Servantur quoque quoad substantiam eiusdem Codicis praescripta quibus determinatur obligatio celebrandi ad intentionem pro qua stipis oblata et acceptata est (can. 828, 829, 830); ea etiam quae definiunt tempus intra quod celebrandae sunt Missae pro quibus celebrandis stipis recepta est (can. 834 et 835); ea quoque quae locum in quo celebrandae eadem sunt respiciunt (can. 836) atque quae ordinant obligationes eorum qui aliis Missarum celebrationem committere intendunt (can. 837 ad 841, § 1).

Affirmatur etiam ius definiendi stipem offerendam, quod quidem competere statuitur Episcopo dioecesano, qui vero curare debet ut quantum fieri possit definiatur secundum rationem ab Episcoporum Conferentia compositam. Retinentur tandem Codicis praescripta qui-

bus determinantur officium et ius advigilandi ut Missarum onera adimpleantur (can. 842) quibusque adnotatio Missarum celebrandarum ordinatur (can. 843 et 844) (W. Onclin, *Relator*).

